DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

RUBEOLA:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS GULIELMUS MACAULEY,

HIBERNUS;

COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM LONDINENSIS SOCIUS,
NECNON
CHIRURGUS SCHOLAE REGIAE MILITARIS HIBERNAE RESIDENS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXV.

GEORGIO RENNY,

ARMIGERO,

M. D.

NOSOCOMIORUM MILITARUM IN HIBERNIA

RECTORI SUMMO,

CUJUS STUDIO ARDENTI

IN MUNERIBUS SUIS PUBLICIS FUNGENDIS

MILES, FACULTAS MEDICA,

ET RESPUBLICA UNIVERSA

QUAM MAXIME DEVINCIUNTUR;

UT SE, ANIMI OB BENEFICIA COLLATA,

GRATI TESTEM PRAESTET,

HAEC DISSERTATIO

DICATUR

AB

AUCTORE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA.

JACOBO GULIELMO MACAULAY, AUCTORE.

E MORBIS omnibus, quibus natura humana plectitur, nullus est, qui curam et attentionem insomnem non solum medici ipsius, verum etiam parentis itemque nutricis, quae assidet aegrotanti, postulet magis quam, is de quo statim acturus sum. De hac re autem non multis verbis opus est, nam multi, imo, nimis multi eventus indies sese manifestant (et si genus humanum amamus dicere pigendum est) qui veritatem dicti satis

superque comprobant. Quam saepe infantem, haud multo ante, sanum et pulchritudine amabilem parentibus laetitiam tacitam praebentem, cito in florem fragilem et marcentem mutatum videmus. Si quando de tenellis et caris aegrotis loquimur, nulla sententia quam haec frequentius voce editur, "Heu nunquam se bene habuerunt post-"quam Rubeola laboravere." Haec opinio adeo generaliter admittitur ut perpauci, credo, ei obviam ire velint.

Quo malum tam pestiferum in aggressu minuant et innocentes affectos ab effectibus hujus morbi timendi diris corripiant, multi, et haud parvi nominis medici operam minime exiguam dederunt. Utinam meae opus esset aliquid saltem communi acervo conferre, verum etsi studio et voto flagro, timeo ut parum omnino conducere possim.

Intitutio publica ubi mihi honori est servire, hujus morbi pariter ac ceterorum, quibus prima aetas obnoxia est, cursum

notandi occasionem praebet, quoniam non minus centum triginta et novem exemplis Rubeolae intra veris anni 1824 sub oculis habui. Quum igitur ad curationem perventum fuerit, aliquot observationes proponam de medendi ratione communi, et eam medicinam exponam, quae in supradicta institutione adhibetur, quod si unam tantummodo vitam incolumem praestare conferret, certe mihi pretium operae haberetur.

Quamvis in exemplis compluribus, ut jam antea dictum est, hic morbus faciem valde terribilem induat, multi tamen adeo felices existunt ut ejus decursum cum parva, vel si dicere licet, cum ad alios spectamus, nulla molestia sustineant. Ad naturam istius fallacem maxime animum advertere oportet, saepe enim accidit, ut cum aeger se melius et melius indies habere videretur. Inflammatio interea incubuisset, et labem haud facile tollendam constitutioni impe-

gisset. Quin et cum, post certamen vim vitae inter et potestatem mali gravissimam vitae superfuerit, sequelae fuerunt, non solum Ophthalmia et artuum tumores, verum etiam Phthisis pulmonalis et tanta corporis universi debilitas quanta mentem in dubio relinquat, utrumve non melius fuisset, aegrum a tot et tantis miseriis morte illi quam vita magis optanda fuisse correptum.

Itaque parentes aliosque omnes, quibus infantes tractandi committuntur, monere vellem, animi attentionem et curam servantissam quae usurpari potest iis adhibere.

Ob timorem et repugnantiam medicamenti ingerendi juniores saepe medico curanti se nullum dolorem in thorace parteve quavis alia habere praedicabunt; multorum quoque facies rubescit, et impetus sanguinis augescit, dum lectum cubantium appropinquat, quae res per aliquod temporis spatium cognitioni morbi conditionis statusque veri et perfecti quodammodo obstat, itemque

quam aperte demonstrat quanta cura parentes et mulieres assidentes, num aeger parvulus unquam antea de ullo dolore questus fuisset, notare debeant; et, ut spero, huic ordini curantium utili quamvis humili necessitatem persuadebit, fiduciam liberorum sibi commissorum obtinendi, ut Medico narrationem rei cujusque, quae, eo absente, acciderat amplam et veram praestent ut sese invicem adjuvantes remediis rebus subinde natis accommodatis tempestive adhibitis incommoda et noxas aliter timenda amoveant.

Non adhuc bene constat num morbus, de quo agitur, medicis vetustioribus fuerit cognitus, necne, in operibus enim Hippocratis, Celsi, Aretaei Galenique nulla ejus animadversio omnino reperiatur, nulla plena aut non dubitanda descriptio est; Rhazes medicus et scriptor Arabs, qui circiter nongentos annos aut amplius post Christum natum floruit, primus omnium est, qui istius

descriptionem reddiderit. Haud multis annis postea, ab AVICENNA amplius notatus et accuratius depictus fuit. Itaque procul dubio est quin malum ab origine rabica deducatur. A commeatu mutuo et bellis ibi loci et illis temporibus existentibus, cito sibi per Mare internum sive Mediterraneum, ut a hodiernis nominatur, iter in Hispaniam reperit, et inde vim et potestatem pestiferam per totam Europam diffudit, primo tamen lentius tantummodo, ob commeatum inter gentes mundi Christiani exiguum. Post annum aerae Christianae millesimum centesimum eo velocius augescere coepit, quo magis bella a Hierosolyma, ut terram Sacram Judeae a fide Christiana alienis reciperet, serebantur : tum enim bella et hominum congressus contagioni grassanti favebant, nam milites ab Asia reduces, eo morbo saepius plectebantur, et sic partibus Europae remotissimis tradebant.

DEFINITIO.

DOCTOR CULLEN celeberrimus talem hujus morbi definitionem tradit.

" Synocha contagiosa cum sternutatione, " epiphora, et tussi sicca, rauca.

" Quarto die, vel paulo serius, erumpunt " papulae exiguae, confertae, vix eminentes, " et post tres dies in squamulas furfuraceas " minimas abeuntes." Eum quoque in binas species; Rubeolam vulgarem et variolodem alteram a sua, alteram a SAUVAGES observatione derivatam, distribuit, Synocha aliam, Typhus gravior alteram comitatur.

HISTORIA MORBI.

A SYMPTOMATIBUS febris et catarrhi solitis incipit, rigoribus, et calore sese invicem alternantibus, siti, lingua alba et humida, tussi valde molesta, cùm quodam sonitu singulari quasi tinniente, pulsu celeri, anxietate circa praecordia, fastidio cibi. Die secundo haec indicia omnia magis profecto ingravescunt, pulsus celerior est plenior, durior, saepe vomitus constans, dolores in partibus corporis diversis, dolor praecipue capitis. Die tertio cutis rubescit, palpebrae tumefiunt, humor acer e naribus profluit, qui sternutationem molestissimam movet, fauces quoque inflammantur. Alvus modo astricta, modo soluta observatur. Infantuli juniores qui dentitione laborant, fere dejectiones viridantes et viscidas foetidissimas edunt. Torpor seu sopor aliquando comitatur et multi revera somno morbum penitus solvunt. Die quarto facies et palpe-

brae haud parum tument, maculae rubrae et parvae quasi pulicum vestigia. Super frontem conspiciuntur, qui cito ad faciem, collum, pectus, dorsum, aliasque corporis partes usque serpunt. His symptomatibus omnibus, ut credo, quae ab auctoribus vulgo describuntur, adjicere mihi liceat, Epistaxin, quoniam in exemplis septem, ex iis quae mihi curae fuerunt per ver jam praeteritum, sese prodidit, itemque haemoptysin, quae in tribus aperte patebat, in compluribus dolor capitis saevissimus existebat propter actionem vasorum sanguinem vehementium auctam, et, ejus humoris ad partem supra dictam derivationem tantam, ut delirium et coma efficeret. Die quinto corpus universum eruptione obtegitur, quae paulo supra summam cutem surgens, facile tactu discerni potest: die sexto paulatim colorem subfuscum adipiscitur, et septo cum desquamatione cutis furfuracea decedere incipit, dolor capitis et partium caeterarum simul cum febris calore. Eruptione in lucem proveniente multum levatur: nausea et

vomitus desinunt. SYDENHAM ait se nunquam vomitum, postquam eruptio apparuerat, perstare observasse. Hoc morbi stadio frequenter accidit, ut tussis et spirandi difficultas necnon oculorum rubescentia et inflammatio augescant; prout desquamatio, tamen progreditur, perspiratio lenis erumpit, et alvus liberatur, morbus exitum felicem attinet. In his regionibus, temporibus diversis, Epidemicus in Peripneumoniam aliquando desinens, sese ostendit, cujus exemplum, quod Anno Domini MDCLXXIV a SYDENHAM notatum habemus.

NICHOLAS ROSEN VON ROSENSTEIN in tractatu de infantum morbis, quem scriptum edidit, casum febris tussis &c. per dies viginti et unum, perstantium narrat, quo tempore eruptio provenit et omnia indicia leviora fiebant. Hoc malum febris ardens, aliquando tamen typhus, etiamque putredinis symptomata comitantur. Hic typus malignus proxime memoratus, rubescentia haud exigua, et suffusione aquosa oculo-

rum, tussi, magna virium diminutione et somno turbato sese manifestat.

Febris procedit ingravescens, dolor capitis adest, calor cutis magnus, pulsus parvus, celer, spirandi difficultas, tussis sicca et molesta, fauces rubrae, lingua scabra, eruptio plena super omnes corporis partes circa diem quartam recedens. Desquamatio nullum levamen affert, contra omnino cuncta signa exacerbantur, et cito lethalia evadunt. Cadaveribus peremptorum inspectis sphacelus in diversis partibus corporis internis manifeste patuit. Haec morbi species Londini autumno anni MDCLXXII grassato fuit et trecenos aegrotantes quoque hebdomade leto corripuit, nomenque Morbilli Epidemici a MORTON qui nobis reddidit, rationem recipit. Per sex menses similius pestilentiae quam ulli morbo alii furere duravit. Ab HUXHAM discimus typum ejus malignum ad Plymouth annis 1745, 1749, et 1750 itemque in tempestate autumnale erupisse, Londinique iterum

annis 1763 et 1768 ut a Doctore WATSON in tomo quarto Ephemeridis Londinensis Anglicaescriptae, cui titulus Medicae Observationes et Indagationes, describitur. Species quam sibi hoc vere proximo attentionem vindicavit si vulgo loquimur, lenis fuit, aliquod tamen tempestatis frigus saevum simul cum flatibus Eois continuatum diathesin magis inflammatoriam effecit, quam fortasse alias accidisset, adeo ut ex numero jam aegrotasse supra memorato, circiter viginti tres curationem validiorem postulaverint, ut symptomata Pneumoniae febrisque inflammatoriae generalis, quae sese ostenderunt, superarentur. Unum exemplar accidit, quod solitae definitioni hujus mali "Semel in decursu vitae aliquem afficientis" penitus occurrit. Infans decem annos natus filius Reverendi Domini L. qui rubeola secundum normas solitas circiter menses sexdecem natus laboraverat, quantum mihi saltem cognitum est, contagium generale minime effugit, quamvis revera haec altera aggressio mitissima extiterit. Doctor F.

Home Edinburgi, quoque narrationem edidit, complures in ea urbe anno 1752 iterum morbillis affectos fuisse. Propagationem hujus morbi per inoculationem etiam, adhuc vero sine exitu optato, quidam moliti sunt.

DIAGNOSIS.

Morbi cum quibus, is de quo in praesentia agitur, sub initiumc onfundi potest, hi sunt Variola, Varicella, Scarlatina et Catarrhus. Oculorum rubescentia, acer humor e naribus profluens, sternutatio, tussis sicca, rauca et cetera facile Rubeolam insignire possunt quoniam variolam minime comitantur ; hac autem ventriculus vehementer plectitur, adeo ut Cullen celeberrimus in sua definitione istius praecipue dolorem ex epigastrio presso notat ; in variola praeterea, eruptio super cutem tertio die, febre protinus cessante papulae quae plerumque turgidae discretae et circumscriptae, in suppurationem

et circa diem undecimum in crustas abeunt. Saepe tamen dira vestigia sui super cutem relinquunt. In Rubeola autem papulae vix supra cuticulam eminent, sed cum parvulis acuminibus tactu percipi possunt et *septimo die* evanescunt. Varicella est morbus adeo lenis ut hic vix nominari, oporteat. Omnia indicia, quae in Rubeola adesse jam supra memorata fuerunt, in eo desunt.

Scarlatina quoque a Rubeola facile dignosci potest ; illa pariter ac haec a febris indiciis incipiunt, die quarto item cutis rubescit, et septimo die in squamulas furfuraceas abeuntes. In Scarlatina, maculae latiores sunt, colorem habent magis floridum, non autem accuminatae neque super cutem tactu percipiendae, cognitio quoque, num ullus epidemicus, eo tempore grassetur diagnosin multum adjuvare valet.

PROGNOSIS.

Exitum faustum, vel contra infaustum a ratione et natura febris, quae morbum in decursu ejus comitetur, praedicere oportet. Calor multum auctus, pulsus plenus, durus et celer, tussis frequens et molesta, spirandi difficultas haud exigua, haec omnia demum, post eruptionem provectam, augescentia, potius quam levata, raucitas diu infestans, diarrhoea diu perstans, facies tumefacta, eruptio plus solito coacta, et coloris fusci seu nigricantis, vel subito recedens, periculum instare monent. Contra, si febris mitis est, et morbus decursum solitum lenem persequitur, haud multum, quod timendum sit, reperitur. Adulti fere magis quam juniores in hoc morbo laborant. Abortio saepe a variola, nunquam vero, ut a Doctore Heberden jure notatur, a Rubeola inducitur.

CURATIO.

Quamvis profecto hic morbus in exemplis compluribus, haud multo doloris aegro, aut molestiae assidenti medico, ad finem perducitur, tamen adhuc curam et attentionem animi maximam postulat, quoniam febris, quae comitatur, si ad plerosque aegrotantes spectamus typi inflamatorii, invenitur, et eas partes, quae ad vitam sustinendam maximae necessariae existunt, aggreditur, ab omnibus rebus, igitur quae ad excitationem conducant, veluti calore vel frigore nimio, stragulis justo pluribus, quam sedulo cavere oportet, temperies cubiculi bene haberi debet, et omnia, ad Ovidii axioma "Medio tutis-"simus ibis," ordinari decet.

Tussis, quae semper Rubeolae comes molesta sentitur, usu demulcentium mitium et mucilaginosorum allevari debet. Si quoque raucitas aegrotum male habeat, aquae calidae

vaporem inhalare prodest. Decoctum hordeaceum in quo glycyrrhizae radix cocta fuit, ut ptisana, libere permittatur, cura simul adhibita ne ventriculus nimio onere prematur, si oculi tenerrimi fiunt, tutamen viride usurpari queat, et ne lux eos laedere sinatur, curandum. Alvum leniter solutam tenere juvat, et forsitan mixtura diaphoretica, si modo lenis, aliquantum proderit. Jam nunc memorata fuerunt cuncta, quae in forma hujus mali miti tractanda necessaria inveniuntur. Verna anni tempestas, quia tunc temporis Rubeola, aliique morbi eruptionem super cutem exhibentes, praecipue accedunt, sine dubio ad symptomata Pneumoniae quae saepius comitantur inducenda conducit; optimum remedium in tali casu venaesectionem liberam tempestive adhibitum esse inter omnes constat, et mihi, equidem affirmare liquet, nullum morbum esse in quo sanguinis detractio, majore cum commodo usurpari valeat; non mihi vero in animo est dicere, fontem eximium vitae et naturae sanguinis missione inconsulta, in omni exemplo nos

exhaurire debere; ubicumque vero febris ardens insidit, maturae venaesectioni maxime confidendum est. Doctor CULLEN celeberrimus ait, "Blood-letting is seldom "necessary during the eruptive fever, and "may be reserved for periods of greater "danger, that are perhaps to ensue." Doctor HAMILTON obstetricii, Edinburgi Professor, si unquam exemplum ubi venaesectio necessaria fuisset, vidisse negat, cui sententiae Doctor PARR de Exeter, quoque assentitur, apud institutionem, ubi dego, sexcenti juniores curantur, praeterea quadraginta vel plures Praefectorum militarium superiorum et inferiorum, etc. liberi; e numero aegrorum ad 139 qui hoc vere laborant 116 sanguinis missionem minime postularunt, nisi vero viginti tres reliqui tali modo cito etiam depleti fuissent, haud omnino me judice dubitare licet, quin negligentiam istam lethum consecutum esset.

Alios ex his, eodem die, quo in nosocomium recepti sunt, dolor vehemens in tho-

race situs invasit, alios Epistaxis, et tres Haemoptysis. A quibusdam die febris primo vel secundo, sanguis detractus est, *antequam* eruptio prodierat, neque tamen ideo cohibita fuit; quod sanguini actione sua inflammatoria ex parte aliqua, rationibus adhibitis, minuta moveri libere permisso tribuere fas est. Diaphoretica, præsertim Aq: ammoniae acetatae, vesicatoria, fomenta calida cruribus et pedibus admota, caetera remedia praecipue usitata fuerunt. Affusio frigida a Doctore Currie de Liverpool, aliisque medicis cum beneficio haud exiguo, in Epidemico Typhoidem habente, qui anno 1808 erupit, curando usitata fuit.

Fortasse putatum erit, juniores in hac institutione tractatos robustos esse, et itaque talem medendi rationem prae reliquis postulare, in memoriam autem revocari debet eos omnes militum esse liberos, et plurimos eorum in castris et per itinera et in nave natos, adeo ut ex numero tanto non po-

test esse quin complures constitutionem corporis infirmam habeant.

A tali parvulo sex annos nato et corporis habitu imbecillo, contagium hac tempestate illatum est, qui sanguinis missionem quater passus est, et jam penitus convaluit.

Illis profecto, quibus rerum patriae administratio committitur, haec Institutio maxime curae est, adeo quidem ut, ob eorum attentionem paternam et perpetuam parvuli vulgo bona valetudine fruantur.

FINIS.